



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 75. Conventus Mantuæ a Papa indictus, & Galliarum Rex de eo certior factus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. LXXIV.

*Inauguratio Pii II. Pontificis  
Maximi.*Sæcul. XV.  
A.C. 1458.

Interea Pius II. postquam Romæ die tertia Septembris coronationis suæ insignia suscepit, omnes Christianos Principes encyclicis literis de sua electione certiores fecit, eosque per demisse adhortatus est, ut pias pro ipso preces ad Deum fundent. Eadem occasione epistolam die *Aeneas Sylv.*, quarta Mensis Decembris ad Academiam *ep. 384.* Parisiensem dedit.

## §. LXXV.

*Conventus Mantuæ a Papa inditus,  
& Galliarum Rex de eo certior  
factus.*

Ceterum Pontifex probe sciebat, quod Turcarum potentia eo magis augeretur, quo plus Principum Christianorum pax ac concordia decresceret, hinc omni conatu eos ad unionem revocare studuit; cum vero paratum semper gereret animum ad recipienda quoque eorum consilia, quorum opem pro fide orthodoxa adversus infideles implorare deberet, hinc Mantuæ, cum urbs esset situs opportunitate adeuntibus percommoda, conventum indixit, omnesque Christianos Principes eo

N n 2

acce-

**Secul. XV.** accedere hortatus est, ut de necessariis ultiores Turcarum progressus inhibendi mediis deliberarent.

*A. C. 1458.*  
*En. Sylv.  
epist. 385.*

Exstat insuper epistola ad Carolum VII. Franciae Regem die tertia Mensis Octobris data, qua illum Pontifex rogit, ut ipsemet Mantuano conventui, qui ad Mensem Junii Anni sequentis indictus erat, interesse dignaretur. Evidem Papa Gallis parum addictus erat ob Sanctionem Pragmaticam, cuius tamen ipsemet praeceps Auctor erat, cum adhuc in Concilio Basileensi se Eugenio IV. adversari palam, aperteque profiteretur. Nihilominus in praefatis literis Regem appellat *devotissimum Principem fidei, & Religionis Christianae defensorem praecipuum eumque hortatur*, ut Concilium hoc sua praesentia honorare velit: *Fore namque aiebat, ejus accessum maximae ad hoc salutare opus utilitatis, non eo solum, quod sapienti suo consilio dirigere tantam molem gloriosissime posset, sed quia gentes & Regna, si audierint Christianissimum Regem Franco-rum relictis Sedibus suis ad tuendam & augendam communem caussam Altissimi cum Romano Pontifice convenisse, erubescerent exemplum ejus non sectari.* His addit, si forte Regia sua Majestas venire non posset, saltem Oratores suos mitteret cum plena potestate, non ad decernenda solum ea, quorum caussa Conventus hic indicitur, sed ad

com-

componendam pacem, vel inducias cum iis, Sæcul. XV.  
 quibuscum ei esset forsan contentio; ut de- A.C. 1458.  
 dum placatis ubique Fidelibus concordius  
 cæptum opus promoveri posset. Denique  
 Regi ob oculos ponit, eum non immerito  
 ob Christianum nomen egregie a Progenitori-  
 bus suis defensum, nomen CHRISTIANIS-  
 SIMI ab illis hæreditarium accepisse, il-  
 lumque potentia singulari omnipotentem  
 Deum insignire voluisse, ut esset, qui tempore  
 necessario, quale nunc immineret, illam ad  
 protectionem sui gregis conserret, Ultimo  
 significat Regi, se ideo Mantuanam Civita-  
 tem delegisse, ut vel ipse, vel saltem Princi-  
 pes aliqui de latere ejus illuc accedere faci-  
 lius valerent.

## §. LXXVI.

*Galliarum Regis Responsum ad Papam.*

Rex confestim rescripsit, ac præprimis  
 Papam, ejusque pia consilia commen- *Æn. Sylv.*  
 dans, spopondit convocaturum se Præ- *epist. 386.*  
 latos, ac Principes aliosque Regni sui *Cochl. Hist.*  
 magis conspicuos Viros, ut rem matu- *Hussit. lib. 12.*  
 rius tractarent: quæ autem eo coetu con-  
 clusa forent, se per suos Oratores plena  
 potestate instructos summo Pontifici si-  
 gnificaturum promisit.

## N n 3      §. LXXVII.